

- Nobilis hoc Hagano fuerat sub tempore tyro,
 Indolis egregiae, veniens de germine Trojae;
 Hunc, quia Guntharius nondum pervenit ad aevum,
 30 Ut sine matre queat vitam retinere tenellam,
 Cum gaza ingenti decernunt mittere regi.
 Nec mora; legati censum juvenemque ferentes
 Deveniunt, pacemque rogant ac foedera firmant.
 T
 Tempore, quo validis steterat Burgundia sceptris,
 35 Cujus primatum Herricus forte gerebat,
 Filia huic tantum fuit unica nomine Hiltgunt,
 Nobilitate quidem pollens ac stemmate formae.
 Debuit haec heres aula residere paterna,
 Atque diu congesta frui, si forte liceret.
 40 Jamque Avarum firma cum Francis pace peracta
 Suspendunt a fine quidem regionis eorum.
 Attila sed celeres mox huc deflectit habenas,
 Nec tardant reliqui satrapae vestigia adire.
 Ibant aequati numero, sed et agmine longo;
 45 Quadrupedum cursu tellus concussa gemebat,
 Scutorum sonitu pavidus superintonat aether.
 Ferrea silva micat totos rutilando per agros;
 Haud aliter, primo quam pulsans aequora mane
 Pulcher in extremis renitet sol partibus orbis.
 50 Jamque Ararim Rodanumque amnes transiverat altos,
 Atque ad praedandum cuneus dispergitur omnis.
 F
 Orte Cavillonis sedit Herricus, et ecce
 Attollens oculos speculator vociferatur
 'Quaenam condense consurgit pulvere nubes?
 55 Vis inimica venit, portas jam claudite cunctas.'
 Jam tum quid Franci fecissent ipse sciebat

30 nouellam I. 34-39 hat I nach 51. 35 heriricus B. henricus I. 36 hildcund B. 37 formae C. 40 namque B. 42 illuc flectit C. 44 aequali C. 52 cabillonis sedit heriricus B. 54 consurgunt B. C.